Ill.me ac RR. Dñe. Episcope.

DIE 21. Martij. Anno 1722. in Capitulo Oscen. præsentatæ fuerunt Litteræ Sacræ Congregationis Concilij directæ vestræ Dominationi, & Romæ expeditæ sub die 23. Augusti Anno 1721. simulque cum prædictis Litteris *Supplicatio* Sanctissimo D. N. P. per Doctorē Emmanuelem Martinez Montoya oblata tenoris sequentis. *Beatissime Pater. Alias Canonicatus, & Pœnitentiaria nuncupata Prabenda Ecclesiæ Oscen. tunc per obitum quondam Hieronymi Sanz illorum dum viveret ultimi possessoris, extra Romanam Curiam de Mense Septembris proximè præterito defuncti vacantibus, de illis sic vacantibus devoto S.V. Oratori Emmanueli Martinez Montoya Præsvitero Oscen seu alterius Civitatis, vel Diœcesis ordinaria authoritate provisum fuit, possessione forsan nulla tamen fructuum perceptione subsequutis, cum autem P.S. dictus Orator tempore provisionis huiusmodi Archidiaconatum de Serrablo nuncupatum dictæ Ecclesiæ dignitatem inibi, non tamen post Pontificalem maiorem, nec illum, qui occulus Episcopi dicitur existentem, cuius fructus xxiiij. ducatorum auri de Camera secundùm communem æstimationem valorem annuum non excedunt, obtineret, prout adhuc obtinet de præsenti, & licèt dictus Archidiaconatus per unum, & eundem ex ipsius Ecclesiæ Canonicis, etiam unà cum suis Canontcatu, & Prabēda absque dispensatione Appostolica obtinere consueverit, à nonnullis tamen asseratur, illum unà cum Canonicatu, & Præbenda primodictis pro eo quod primodicta Præbenda Pœnitentiaria existit absque dispensatione Appostolica obtineri non consuevisse; propter eaque dictus Orator dubitet provisionem huiusmodi viribus non subsistere, sed Canonicatum, & Præbendam primodictos, adhuc ut prius, aut aliàs certe alio modo vacare ad præsens supplicat igitur humiliter S.V. Orator præfatus, quatenus specialem gratiā faciendo Canonicatum, & Præbendam primodictos, quorum, &c.* Reliqua generalia sunt. Antequam sensum aperiamus, oportet gesta omnia a die vacationis primodictorum Canonicatus, & Præbendæ fideliter referre. Vacantibus igitur primodictis Canonicatu, & Præbenda Pœnitentiaria de Mense Septembris anni 1720. per obitum Doct. Hieronymi Sanz illorum ultimi possessoris, Capitulum, ut procederet ad electionem die 17. Novembris ejusdem anni decrevit concedere Litteras generales Edicti, & quamvis eo ipso die à nonnullis fuerit propositum, expedire ad concursum admitti maiores triginta annorum, prout Bulla Gregorij XV. permittit, quia sic aditus patebat ad meliorem electionem, tamen spretis rationibus, quibus satis abundè maior probabilitas huius opinionis ponde-

rata fuit prætextu consuetudinis à maiori parte contra praxim ferè omnium Ecclesiarum totius Hispaniæ contrariũ fuit resolutum, quare ex duobus concurrentibus ad exercitia litteraria, Oratore videlicèt, & Doctore Joanne Ràllol, Orator à maiori parte Capituli ritè, & canonicè electus fuit die 28. Januarij anno 1721. Facta electione inquisitus fuit per Cursorem Capituli in proprijs domibus suæ habitationis, & in alijs locis prædictæ Civitatis, ut collationem, & possessionem reciperet, sed tamen nõ comparuit, & eodem die divulgatum fuit Oratorem nolle ingredi possessionem, quia propter incompatibilitatem, Archidiaconatum una cum Canonicatu, & Præbenda Pœnitentiaria retinere non poterat absque dispensatione Appostolica, quam ante cõcursum ab Appostolica Sede postulasse; illam vero non potuisse obtinere dicitur, quia de stylo Curiæ solùm in actu provisionis huiusmodi dispensatio concedi solet. Die 31. Januarij institutus fuit canonicè de Canonicatu, & Præbenda, verùm possessionem capere recusavit. Die vero 2. Maij ejusdem anni, cùm prius diffusum fuerit in Ecclesia, & Populo, obtinere iam dispensationem concessam à Sacra Congregatione Concilij, possessionem capitulariter, quietè, & pacificè per se ipsum fuit ingresus, ut constat ex instrumento confecto à Matheo Cabrer Scriba publico eodem die mense, & anno; & in die 3. se immiscuit in libero exercitio primodicti Canonicatus, & Præbendę canendo Evangelium, ut fructus totius anni faceret suos, juxta statuta nostræ Ecclesiæ, quæ requirunt exercitium ordinis annexi Præbendæ antequam fructus posit lucrari: verum a diè in quo exercuit ordinẽ habuit ius quæsitum ad fructus tam Mensæ, quam Præbendæ usque ad ultimum Aprilis ejusdem anni, taliter, ut quamvis immediatè è vita migraret dicti fructus ad eius hæredes pertinerent. In diebus verò subsequentibus incubuit muneri suo, tùm audiendo confesiones, tùm exercendo canonicales functiones, videlicèt canendo Missas, & Aniversaria, quæ a solis Canonicis decantari solent, necnon percipiendo eleemosynam, & distributiones pro aliquibus Missis, & Aniversarijs, quæ solùm inter Canonicos fuerunt distributæ, ac interveniendo in Capitulo, ubi Dignitates vocem non habent, ibique suffragium præstando pro decernendis negocijs propositis à Decano. Deinde usus fuit Patronatu cuiusdam pij legati iuncto Præbendæ Pœnitentiariæ recipiendo computa, & ratiocinia Procuratoris dicti legati; & salarium destinatum à Fundatore pro hac asistẽtia.

Die 17. Octobris ejusdem anni tractatum fuit in Capitulo de divisione fructuum Mensæ Canonicalis, & in eodem Capitulo fuit propositum dubium, utrum Pœnitentiario Canonico esset tradenda portio, cùm professionem fidei non emisisset, & resolutum fuit denegari debere, fuit tamen à nonnullis proposita interpellatio, & monitio ut profesionem emitteret, ut deinceps fructus suos faceret, & quamvis non dubitamus hoc perve-

perveniſſe ad ſuam notitiam, tamen adhuc eam non fecit, forſam ut hoc prætextu celaretur non obtinere diſpenſationem. Et quamvis paucis ab hinc diebus decretum ſit à Capitulo, quod fructus quos ipſe fecit ſuos à die exercitij ordinis diſtribuantur inter Canonicos, hoc provenit ex alio capite videlicet, quia diſceſsit a reſidentia, & quia non emiſsit profeſsionem fidei, quæ omnia per eum ſtant, ſiquidem nec ex privilegio, nec ex conſuetudine, nec ex ſtatuto ad alios pertinent. Ex hac factorum omniũ narratione evidenter apparet Oratorem multa tacuiſſe, & quamplurima involvere voluiſſe ſub illis verbis: *poſſeſsione forſan nulla tamen fructuum perceptione ſubſequutis.*

Veritatẽ etiam ſupreſsit Orator dùm valorẽ annuum Archidiaconatus quem obtinet in noſtra Eccleſia exprimens, aſſerit: *cuius fructus xxiiij ducatorum auri deCamera ſecundùm communem æſtimationem valorem annuum non excedunt*, quia imò cõputato anno fertili cum ſterili, unà cum incertis, quingentorum ſcutorum monetæ Romanæ attingunt, quæ faciunt ducentum octoginta & quinque ducatorum & duodecim Julij cum dimidio auri de Camera.

Dari enim in noſtra Eccleſia conſuetudinem retinendi per unum, & eundem ex ipſius Eccleſiæ CanonicisDignitatem unà cumCanonicatu,& Præbenda certiſsimum eſt; ſed æquè certum dictum Archidiaconatum de Serrablo, ſicut neque aliam Dignitatem ejuſdem Eccleſiæ cum Canonicatu, & Præbenda Pœnitentiaria obtineri non conſueviſſe: quod ut radicitus comprehendatur, oportet rem ab origine repetere, & Pœnitentiarios omnes noſtræ Eccleſiæ numerare.

Anno 1569. erectum fuit in noſtra Eccleſia officium Lectoris cum unione Canonicatus, & Præbendæ de Tabernas, & ad dictum Canonicatum, & Præbendam cum onere tantùm Lectoris electus fuit Joannes de Longares Sac. Theolog. Doctor. Poſtmodum per Indultum conceſſum à Sixto V. anno 1590. & expeditũ à Gregorio XIV. Romæ Idib. Decembris anno Incarnationis Domini 1596. primodictis Canonicatui, & Præbendæ de Tabernas, quam obtinebat dictus Joannes injunctum etiam fuit Pœnitentiarij officium. Per obitum dicti Joannis electus fuit in Lectorem, & Pœnitentiarium noſtræ Eccleſiæ Martinus Ciria Theol. Doct. die 7, Martij anno 1597. ſed cum dictus Martinus ad ſumam ſenectutem perveniſſet taliter, ut muneribus ſuis ſatisfacere non poſſet, Romanus Põtifex, ipſo non conſentiente, ex plenitudine poteſtatis dedit ei in Coadiutorem Joannem Mateo Sac. Theol. Doct. qui, mortuo Martino die 22. Decembris anno 1632. adeptus fuit poſſeſsionem, uti principalis dicti Canonicatus, & Præbendæ cum munere Lectoris, & officio Pœnitentiarij. Joanne Mateo vita functo die 11. Decembris anno 1646. electus fuit Doctor Antonius Olivan die ſeptima Junij 1647. Defuncto Antonio die

2. Februarij anno 1668. provisus fuit Doctor Iacobus Ioannes Galliñat die 14. Maij 1668. Mortuo Jacobo Joanne die 18. Martij anno 1681. electus fuit Dr. Joannes Lain die 3. Septembris 1681. sub munere Lectoris, & Pœnitentiarij, qui solùm per septuaginta dierum spatium exercuit officium Pœnitentiarij, quia die 19. Decembris 1681. erectum fuit noviter, & de novo dictum officium cum unione Canonicatus, & Præbendæ de Otto vacantibus de Mense Septembris ejusdem anni, authoritate Ordinaria, separando utrumque munus, seu officium consentiente Capitulo, ut ex infra dicendis largius constabit. Facta hujusmodi separatione, electus fuit ad Canonicatum, & Præbendam Pœnitentiarij noviter erectam, Dr. Martinus Lopez de Zamora die 2. Martij 1682. cum ergo anno 1695. dictus Martinus Lopez de Zamora provisus fuisset a Capitulo de Canonicatu, & Præbenda de Rasal, per asequutionem dicti secundi Canonicatus, & Præbendæ, juxta juris regulas, vacavit de Mense Martij dictus Canonicatus, & Præbenda de Otto, quibus iniunctum erat officium Pœnitentiarij. Et servatis servandis intra tempus Iuris electus fuit Dr. Bartholomæus Calvo: Mortuo Bartholomæo die 9. Martii anno 1711. intra tempus Iuris electus fuit Hieronymus Sanz Decretorum Doctor, quo mortuo die 30. Septembris 1720. electus fuit Orator die 28. Januarij 1721. cum ergo ex relatis Canonicis Pœnitentiariis nostræ Ecclesiæ à primo ad ultimum, tempore quo Canonicatum, & Præbendam Pœnitentiarii obtinebat, nullus retinuerit Dignitatem, evidentissimè probatur, non dari in nostra Ecclesia consuetudinem, quæ dictum Canonicatum, & præbendam Pœnitentiariam simul cum Dignitate retinere permittat.

Nec tueri potest Orator ex his quæ edducuntur a Seraphino decisione M. XI. & M. XXXIIII. Verum quippè est Illustrissimum Dominum Martinum Clериguet elegisse in Pœnitentarium nostræ Ecclesiæ Doctorē Paulum Lezano, qui Archidiaconatum de la Camara nuncupatum in eàdem Ecclesia obtinebat: non inde tamèn evincitur dictum Paulum retinuisse Archidiaconatum una cum Præbenda Pœnitentiaria, sed tamen ut res funditùs intelligatur expedit illius litigij narrare processum, uti resultat ex Litteris Rotalibus expeditis contra Dominū Episcopum Oscen, & dictum Paulum, quæ in Carthophilatio nostro sunt sub Armario 2. ligarza 14. num. 877.

Martinus Episcopus Oscen. anno 1590. in mense Jannuarij eo prætextu quòd in Ecclesia Oscen. non dabatur Officium Pœnitentiarij, quià Canonicatui, & Præbendæ de Tabernas, quam obtinebat Joannes de Longares dumtaxat erat iniunctum Lectoris munus, instituit dictum Pœnitentiarij Officium cum unione Præbendæ primò vacaturæ. Vacavit eodem anno Mense Octobris per obitum Ludovici Serra, Sede Apostolica vacāte, Præbenda alia etiam de Tabernas, quam nunc obtinet liberè Franciscus Xara-

va

va cui datus est Coadiutor cum futura successione Doct. Vincentius Castilla, Episcopus elegit, & nominavit in Canonicum, & Pœnitentiarium dictum Paulum; verum à Capitulo provisus fuit de dictis Canonicatu, & Præbenda Gabriel Bendicho. Idem verò Paulus obtinuit causam committi Sacro Rottæ Auditorio; cum ergo dictus Gabriel inter exordia litis obijsset ab Apostolica Sede Hieronymus Pinos in iuribus defuncti fuit subrogatus, cum quo lite prosequuta dictus Paulus primò, & secundò felicẽ sententiam reportavit, de quibus loquitur Seraphinus in supra relatis decisionibus: sed cum ab his sententijs pro parte Capituli nostri, & dicti Hieronymi fuerit appellatum, pronuntiata fuit sequens sententia in favorem Capituli, & dicti Hieronymi a D. Hieronymo Pamphilio Sacræ Rotæ Auditore ex cõsilio suorũ Coauditorũ: *Christi nomine invocato:* Et infra: *Dicimus, pronũtiamus, sententiamus, decernimus, & declaramus, nominationẽ per Dñm. Episcopum in persona Pauli Lezano ad assertum officium Pœnitentiarij aliàs per eundem Episcopum de ãnno 1590. erectum, & institutum in dicta Ecclesia Oscense fuisse, & esse factum contra formam indulti per fœlicis recordationis Sixtum Papam V. concessum idibus Martij 1590. & propterea dictam nominationem de dicto Paulo fuisse nullam, & invalidam, ac nullum ius eidem Paulo in & ad dictum assertum officium Pœnitentiarij, & ad Prabendam eidem asserto officio per eundem Episcopum unitam acquisitum fuisse, nec acquiri potuisse, nec posse ac dictum indultum fore, & esse executioni demandandum, ac illud executioni demandamus. Molestationes quoque &c.* quæ quidem sententia fuit semel, & iterum confirmata ut constat ex Rottalibus Litteris expeditis à D. Francisco Otano Sacræ Rotæ Auditore anno 1599. cùm igitur sint apud nos instrumẽta auttentica, ex quibus clarè convincitur dictum Paulum per tres sententias conformes exclusum fuisse à Canonicatu Pœnitentiario nulliter erecto à Martino Episcopo, Orator nequit jubari ex his quæ adducũtur a Seraphino in dictis decisionibus, cum certissimè constet dictas sententias in favorem Martini Episcopi, & Pauli pronuntiatas, revocatas fuisse, & sic dictum Paulum numquam retinuisse Canonicatum, & Præbendam Pœnitentiariam.

Neque obstat dictum Paulum, non fuisse exclusum propter incompatibilitatem, quia cum incompatibilitas, non adversetur acquisitioni, sed retentioni ex ttadditis à Loterio lib. 3. q. 23, num. 17. non tenebatur dictus Paulus ad dimissionẽ Archidiaconatus, quousque pacificam possessionem adeptus fuisset Canonicatus, ut docet Garc. de Benef. p. 11. num. 105. Deinde, quia Capitulum nõ poterat opponere incompatibilitatem: eo quia virtute indulti, seu privilegij concessi à Sixto V. & expedito à Gregor. XIV. impugnabat validitatem erectionis factę à Domino Episcopo contra quem in favorem Capituli fuit pronuntiatum.

Verum quia à nonnullis noviter contenditur in nostra Ecclesia posse retineri Dignitatem unà cum Canonicatu, & Præbenda Pœnitentiaria

B virtu-

virtute dispensationis quam iudicant contineri in Concordia, seu transactione inita, & celebrata inter Dominum Stephanum Esmir Episcopum Oscen. & Capitulnm nostrum, quæ in forma specifica confirmata fuit à Sanctissimo Domino Nostro Innocentio Papa X. quinto idibus Decemb. 1644. oportet ad memoriam revocare ea, quæ continentur in dicta concordia circa presentem materiam. *Cum enim inter illustrissimos Dominos Episcopos Oscen. necnon Decanum, & Capitulum à multis annis varia fuissent suborta jurgia super electione, ac omnimoda provisione Dignitatis Præpositura, seu Pabostria, & super provissione quatuor Archidiaconatuum, videlicèt de Serrablo, de Sobrarve, de las Valles, & de la Camara, ac Cantoriæ, & Capellaniæ Maioris, quæ omnes dignitates per Canonicos eiusdem Ecclesiæ etiam una cum suis Canonicatibus, & Præbendis absque dispensatione Appostolica sunt solitæ obtineri, & quas dictus Illms. Dominus Stephanus, & ejus Prædecessores liberæ collationis esse intendebant, & Capitulum ex adverso in vim statutorum Canonicis ejusdem Ecclesiæ Oscen. de numero vicenario nuncupatis semper, & quotiescumque earum provissionem per Episcopum fieri contingerit affectas esse prætendebat: quare tam dictus Stephanus Episcopus, quam Decanus Capitulum & Canonici Oscen. dictis altercationibus oviam ire, ac pacem inter se, & successores suos stabilire cupientes sub Sedis Apostolicæ beneplacito per viam transactionis decreverunt, quod deinceps quotiescumque vaccaverit prædicta Præpositura in mensibus ordinarijs, electio fieri deberet per Decanum Canonicos & Capitulum de persona unius ex Canonicis ejusdem Ecclesiæ de numero vicenario aliàs idoneo & qualificato: præterea qaotiescumq; vacaverint Archidiaconatus videlicèt de Serrablo, & de la Camara necnon dicta Cantoria in mensibus ordinarijs prædictus Dñs Stephanus & ejus successores possint liberè eas conferre personis sibi benè visis illarum tamen capacibus & iuxta Ecclesiæ statuta qualificatis; taliter ut eas Canonicis ejusdem Ecclesiæ conferre non teneatur, licèt possit si velit: Denique quotiescumque Archidiaconatus de las Valles & de Sobrarve, necnon Capellania Maior vacaverint in mensibus ordinarijs vel aliàs gaudente Episcopo alternativa, provissio dictorum Archidiaconatuum, & Capellaniæ Maioris per dictum Dominum Stephanum & eius successores fieri debeat uni ex Canonicis prædictæ Ecclesiæ qui tunc erunt de numero vicenario, & aliter facta provissio nullius sit roboris vel momenti.*

Hæc est Concordia confirmata authoritate Appostolica breviter, & fideliter summata, sed si attentè perpendatur nullam videtur ex ea posse inferri dispensationem, ut virtute illius possit Orator retinere Dignitatem cum Canonicatu, & Præbenda Pœnitentiaria, & suaderi videtur ex sequentibus. Primò, quia actus agentium non operantur ultra eorum intentionem ex vulgatis juribus *in leg. Non omnis ff. si cert. petat. leg. in agris ff. de adquirendo rerum dominio.* Nec Dominus Episcopus, nec Capitulum à quibus unanimiter petita fuit, ubi proximè narrata confirmatio intendebant consequi dispensationem, ut in hac nostra Ecclesia possint retineri Dignitates unà cum Canonicatu, & Præbenda, sed tantùm lites, & jurgia fini-

finire, & Dominum Episcopum ligare ad providendum illas tres Dignitates uni ex Canonicis de numero vicenario, ut constat ex rationibus proœmialibus dictæ transactionis, quæ quidem rationes regulariter continēt causam finalem, ut tenet Bart. *in leg: cum tale. §. falsam causam. ff. de condit. & demonst.* & in materia statutorum firmat *Mascardu. de statut. interpret. concl. 4*, ergo videtur dicendum ex dicta confirmatione non posse inferri dispensationem, ut Pœnitentiarius virtute illius posit retinere Dignitatem unà cum Canonicatu, & Præbenda Pœnitentiaria.

Deinde nec Dominus Episcopus, nec Decanus, nec Capitulum, & Canonici intendebant amplius consequi in favorem Pœnitentiarij, quam aliorum Canonicorum; siquidem nulla specialis expressio reperitur in favorem ipsius; at pro alijs Canonicis non petebāt huiusmodi dispensationem: imo allegarunt prædictas Dignitates solitas esse obtineri a Canonicis dictæ Ecclesiæ absque dispensatione Appostolica, ut legitur in ipsa trāsactione, & confirmatione, ibi: *quæ omnes Dignitates per Canonicos ejusdem Ecclesiæ etiam unà cum suis Canonicatu, & Præbenda absque dispensatione Appostolica sunt solitæ obtineri*, & infra, dum in eadem confirmatione loquitur de Archidiaconatibus de las Valles, ac de Sobrarve, & de Capellania Maiori, ibi: *quæ etiam per Canonicos ejusdem absque dispensatione Appostolica obtineri consueverunt*: in quibus expressionibus non poterant loqui de Canonico Pœnitentiario; nam ut constat ex serie Canonicorum Pœnitentiariorū quàm supra narravimus, dùm Pœnitentiarius fuit nunquam obtinuit Dignitatem cum Canonicatu, & Præbenda Pœnitentiaria: ergo nec pro ipsis, nec pro Pœnitentiario voluerunt impetrare dispensationem; nec Romanus Pontifex illam concedere ultra supplicationem Oratorum.

Vlterius, quia confirmationis vis, virtus, & efficatia nihil aliud importat quàm corroborationē iuris prius quæsiti: *Cap. inter Dilectos §. cæterum de fide instrumentorum*, præcipuè quando Superioris confirmationi deficit clausula *ex certa scientia*, ut argumento sumpto à doctrina *tex. in cap. licet de off. ord*, docent communiter scribentes. At Canonicis de numero vicenario solum ius quæsitum erat ex statutis, & consuetudine Ecclesiæ, ut ipsi fatētur in expræssionibus ubi proximè transcriptis, quibus iubari non potest Orator ex declaratione Sacræ Congregationis Concilii, quæ immediatè referetur, ergo huiusmodi confirmatio non importat tacitam dispensationē.

Denique, quia quamvis generalis dispensatio ex nuper tradita confirmatione Apostolica posit inferri pro alijs Canonicis, quod absolutè negatur, adhuc per illam non poterat Orator se tueri ad retinendam Dignitatem una cum Præbenda Pœnitentiaria: si enim generalis consuetudo qua in una, & eadem Ecclesia retinentur Dignitates una cum Canonicatu, & Præbenda, non prodest Canonico Pœnitētiario, ut constat ex declaratione Sacræ Congregationis Concilij, quam refert Garcia de Benef. p. 11. cap.

 5. n.

5. n. 249. ibi: *Iuxta declarationem aliàs editam posse Canonicum ex consuetudine Ecclesiæ, in eadem Ecclesia, an obtinens Canonicatum cui post Concilium iniunctum est onus Pœnitentiariæ, possit vigore dictæ consuetudinis obtinere etiam Dignitatem in eàdem Ecclesia? Congregatio censuit non posse; quia consuetudo est strictè interpretanda, & quia nemo potest esse triplex in eadem Ecclesia 8. Januarij 1587. & 27. Martij 1594. Pyrrhus Corradus in praxi benef. lib. 2. cap. 6. num. 39. Barb. ad Trident. sess. 7. de reform. cap. 4. num. 8. Idem sess 24. de reform. cap. 17. num. 23. Idem alleg. 62. num. 27, Paz Jordan. tom. 2. lib. 10. tit. 28 num. 30. Fagnanus in cap. Litteras 9. de conce. Prabendæ à num. 38. usque ad 63.* cùr est dicendum, quod illi prodesset generalis dispensatio casu quo daretur?

Neque hæc vera prædictæ translactionis, & confirmationis Apostolicæ intelligentia infringi videtur ex provisione de Capellania Maiori facta virtute dictæ concordiæ anno 1694. in Persona Doctoris Joannis Lain per illustrissimum D. Episcopum Oscen. quia dicto anno 1694. prædictus Joannes nõ obtinebat Canonicatũ, & Præbendam de Otto, quibus iniunctum est Pœnitentiarij officium, imò dicto anno 1694. dictum Canonicatum, & Præbendam de Otto, pacificè posidebat Doctor Martinus Lopez de Çamora, & Doctor Jannes Lain obtinebat Canonicatum, & Præbendã de Tabernas, quibus iniunctũ est onus Lectoris; cum ergo cum Canonicatu, & Præbenda Lectoris (si aliàs datur consuetudo) valeat retineri Dignitas, ut docet Garcia dicta part. 11. cap. 5, num, 253 Pyrrhus lib. 2. cap. 6. num. 39. Fagnanus dicto cap. litteras 9. de concel. Præbendæ n. 52 nihil mirum quod dictus Joannes Lain retineret dictam Capellaniam maiorem cum Canonicatu, & Præbenda Lectorali.

Nec obstat dictum Joannem Lain electum fuisse in Canonicum Lectoralem, & Pœnitentiarium simul; nam ut insinuatum fuit in relatione Canonicorum Pœnitentiariorum nostræ Ecclesiæ, dictus Joannes Lain solum per septuaginta & septem dies exercuit munus Lectoris, & officiũ Pœnitentiarij, eo quia anno 1681. die 19. Novembris vacantibus Canonicatu, & Præbenda de Otto de Mense Septembris per liberam resignationem, seu dimissionem Doctris Joseph Gaston, & Falces, Illms. ac RR. Dñs. D. Raymundus Azlor Episcop. Oscen. simul cum Capitulo, Cathedralis nostræ cultui, atque ordinatæ disciplinæ consulens juxta Sac. Concilij Tridentini decreta, & Bullam Gregorij XV. pro Hispaniarum Regnis Romæ expeditam Nonis Novemb. anno 1622. erexit noviter officium Pœnitentiarii cum unione dictorum Canonicatus, & Præbendæ de Otto, separando dictum officium Pœnitentiarii a dictis Canonicatu, & Præbenda de Tabernas, quam obtinebat dictus Joannes Lain, & relinquẽdo in proximedictis Canonicatu, & Præbenda de Tabernas, dumtaxat injunctum munus Lectoris, quod in primæva erectione dictis Canonicatui, & Præbendæ tantùm fuerat injunctũ, ne deinceps per unum, & eun-

dem

dem utrumque munus exerceretur contra sanctiones Canonicas; prout sensit, & explicavit Sacra Concilij Congregatio, dùm responsum præbuit Illmo. ac RR. Dño Episcop. D. Ferdinando de Sada, super narratis in visitatione ad Limina, ibi: *Non sine laude intellectum fuit, quod in eadem Cathedrali Lector, & Pœnitentiarius existat; sed quod per unam, & eandem Personam utrumque munus exerceatur, dispositioni Sacrorum Canonum, & Sacri Concilij Tridentini, adversari censuit; proinde Cathedralis suæ cultui, atque ordinatæ disciplinæ consulere amplitudo tua ad præscriptum Sac. Canonum, & Sacri Concilij non prætermittet, dùm eidem copiosa divinorum Charismatum incrementa ex animo præcamur. Romæ 28. Januarij* 1662. Vnde cum in dicto anno 1694. à tredecim annis & ultra, officium Pœnitentiarij separatum esset à Canonicatu, & Præbenda de Tabernas, quam obtinebat dictus Joannes Lain, & injunctum Canonicatui, & Præbendæ de Otto, quam in dicto anno obtinebat Doct. Martinus Lopez de Zamora, permissum fuit dicto Joanni Lain retinere Dignitatem simul cum Canonicatu, & Præbenda Lectorali.

Verum quippè est, quod in nostra Ecclesia per Bulla Pij IV. & Pij V. necnon per Indultum concessum à Sixto V. & expeditum à Gregorio XIV. quo Dominus Episcopus Oscen. & Paulus Lezano victi fuerunt, semel, iterum, & tertio in judicio contradictorio, in nostra Ecclesia permissum erat munus Lectoris, & officium Pœnitentiarij exerceri per unam, & eandem Personam, tamen prædictæ Bullæ, quatenus hanc facultatem concedebant, adversabantur dispositioni Sacrorum Canonũ, & Sacri Concilij Tridentini, ut sensit Sac. Congregatio; ideoque habebant vim, & efficatiam privilegij, ut ex Sententia Rottali satis apparet, ubi Dns Pamphilius dictam Bullam Sixti, & Gregorij appellat Indultum, ibi: *contra formã Indulti, quod idem sonat ac privilegium, ut docet Gonzalez ad regul.* 8. *gloss.* 35. *num.* 4. *usque ad* 8.

Confirmatur hoc ipsum: quia dum Sac. Rotta intellexit prædictũ Indultum esse obreptitium, pronuntiavit in favorem Pauli Lezano, & pro nova erectione facta juxta dispositionem Sac. Concilij, ut videre est apud Seraphinũ in dictis Decisionibus; verùm statim ut cognovit in Indulto nullam dari obreptionem, imo contineri in eo jus sigulare in favorẽ Capituli, & contra Dominum Episcopum, & Paulum Lezano, Sententiam protulit: Vnde, cum dictum Indultum nihil aliud esset, quàm privilegium impetratum à Capitulo, ut in hac nostra Ecclesia per unam, & eandem Personam exerceretur munus Lectoris, & officium Pœnitentiarij, rectè potuit Capitulum nostrum huiusmodi privilegio renuntiare, ex vulgatis juribus *in cap. Apost. de Regular., leg. Si quis in conscribendo. Codic. de pact.* & consentire in separatione facta à Domino Episcopo per novam erectionem absque recursu ad Sedem Apostolicam, quia ut res revertatur ad jus commune, à quo per viam specialem exierat, potest inferior venire

contra dispositum in Priviligio: *Felinus in cap. Cum omnes. de constitut. Mascard. de statut. interp. conclus.* 8. *n.* 93. Neque obstat quod iam Præbenda vacaverat tẽpore quo fuit facta nova erectio, quia mens Concilij est, ut Pœnitentiarius, & eius officium instituatur cum unione Præbendæ vacaturæ, seu vacantis, si tempore institutionis vacaret, ut docet *Garcia ubi supra* num 250. Neque necessario requiritur, quod effectuetur in Canonicatu, & Præbenda primò vacatura, prout sensisse videtur Seraphin. ubi proximè n. 2. ex doctrina *text. in cap. Si Cleric. de Præbendis in 6.* nam quamvis hoc procedat in speciali gratia, de qua loquitur præcitatus text. non habet locum in generali potestate, quam habent Dñi Episcopi virtute Tridentini ad erigendum officium Pœnitentiarij cum unione Canonicatus, & Præbendæ, ut fatetur ipse Seraphinus vbi supra n. 1. dum affirmat; quod si prima erectio Pœnitentiarij non fuit sortita effectũ, potest deveniri ad novam.

Deinde, quia ultimus status in causis beneficialibus principaliter attenditur, ut communiter docent DD. at Canonicatus, & Præbenda de Otto quibus unitum est officium Pœnitentiarij per quadraginta annorum spatium, & per quatuor provissiones successive factas provisi sunt, ut Canonicatus, & Præbenda quibus iniunctum est dictum officium, ut manifestum apparet, & supradictis in relatione Canonicorũ Pœnitentiariorum: ergo iam hodie dictus Canonicatus, & Præbẽda verè, & realiter Pœnitentiaria debet iudicari, præcipuè cum concurrat titulus nempe erectio ab Illustrissimo Episcopo facta, consentiente Capitulo.

Nec tueri potest declaratione exibita in Capitulo (non tamen in forma probante) facta à Sacra Congreg. pro resolvendis tribus dubijs, pro parte Doct. Joannis Lain, postquam provisus fuit de Capellania Maiori dicto anno 1694 ante captam possessionem Sacræ Congreg. propositis sub his, aut similibus verbis: *Vtrum Dignitas sit incompatibilis cum Canonicatu, & Præbenda Lectorali assertoriè Pœnitentiaria? 2. Vtrum virtute concordiæ possit retinere Dignitatem? 3. Vtrum necessaria sit dispensatio? Ad primum respondetur negative: Cætera responsione non indigent.* Qui hæc declaratio supponit, Canonicatum re vera Pœnitentiarium non esse, prout non erat, ut ex relatis constat, siquidem à tempore quo a dicto Canonicatu, & Præbenda de Tabernas, quam possidebat dictus Joannes Lain, quando dubia proposuit, separatum fuit Pœnitentiarij officiũ, occurrente vacatione, dictus Canonicatus provisus est, uti Lectoralis dumtaxat, quare nihil mirum, quod Sacra Congregatio pro compatibilitate responderet; cætera facta respectu huius declarationis non sunt in nostra notitia: Vnde solùm potest affirmari, Archidiaconatum quem possidet Orator, non esse ex tribus Dignitatibus in concordia Canonicis affectis, nec stari in casu provissionis factæ à Domino Episcopo.

Ex

Ex hucuſque relatis videtur Oratorem indigere Diſpenſatione Apoſtolica, quia nec conſuetudine, nec Concordia poteſt jubari. An autem *Nova proviſio* concedéda ſit, parum ſuffragantur relata in principio. Deinde nullam invenimus cauſam, pricłpuè cum gratia facta ſit de dictis Canonicatu, & Prębenda Pœnitentiaria a Sanctiſsimo D. N. Innoc. XIII. Doctori Joanni Rallol viro eruditiſsimo, & in utroque Jure apprimè verſato, Coopoſitori in Concurſu. Ita infraſcripti ſentimus in reverentiam Declarationis Sacræ Congregationis Concilij pro incompatibilitate Dignitatis cum Canonicatu, & Præbenda Pœnitentiaria. Oſcæ in Aula Capitulari die 31. Martij 1722.